



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput IV [i.e. VI

]. Alexander III. Bartholomeo a Exon. Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



foetus patri ad excusationem tutelae non prodest, lib. 2. §. qui autem 6. ff. de excusat. tutor. Et licet plerumque in jure foetus comparetur filiis jam natis, l. 2. §. qui autem, ff. de excusat. tutor. l. intelligendus 53. ff. de V. S. l. qui in utero 7. §. 26. ff. de statu hominum, l. si quis 187. ff. de R. l. tamen id juris fictione, vel Prætoria æquitate effici satis innuunt illa verba: *Intelligitur, videri quodammodo;* quibus utuntur Consulti in l. si cui 18. ff. quando dies legati. l. intelligendus 153. ff. de V. S. l. vel si vivi 707. ff. de suis & legit. l. si quis 187. ff. de R. l. Juxta hanc ergo Stoicorum sententiam matrem partum abigentem non pœnâ ordinariâ homicidii, sed extraordinariâ puniendam esse. Consulti ipsi docuerunt in dist. l. 4. l. 3. §. 2. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. Divus 4. ff. de extraordin. cognit. l. si quis 38. §. qui abortivus ff. de pœnis. Philosophi verò qui contrâ sentiebant, consequenter existimant, in eo verum homicidium dari, ut probant Galenus ubi supra Aristotel. lib. 2. de histor. animal. Plato apud Plutarchum lib. de placit. Philosoph. 5. cap. 25. & qui juxta eorum scholam crediderunt partum adhuc in utero latentem animal esse, docuerunt abortum procurantem pœnâ ordinariâ homicidii puniri. Philo de specialibus legibus, Josephus lib. 4. antiquit. cap. 8. Athenagoras in Apologet. prope finem, Tertul. & Minut. Felix supra relati. Unde cum Ecclesia semper crediderit foetum animatum verè hominem esse. cap. nasci. 50. dist. cap. si ad matris 114. de consecr. dist. 4. quia ad essentiam hominis duo principaliter exiguntur, corpus videlicet, & anima, cap. in quadam, de celebrat. missar. Clem. 1. de summa Trinit. ideo in præfenti, & in aliis canonibus supra congestis, abortus, ut verum homicidium vindicatur. Nec pro Stoicorum sententia facit textus in cap. qui in maternis, de consecr. dist. 4. in illis verbis: *Qui in maternis uteris est, baptizari non potest, quia qui non est natus secundum Adam, non potest secundum Christum renasci.* Ex quibus deduci videtur, foetum adhuc post animationem hominem non esse; cujus interpretationem dedi in cap. majores 3. de baptismo. Videndus post Lipsium, & neotericos Retes in selectione ad l. Arminiam, sect. 4.

10. Ex supra traditis exponendus est textus in l. Ci-

cero 39. ff. de pœnis, ubi Triphoninus, qui Stoicorum sectator fuit, ut probat D. Joannes Ramos dist. lib. 7. num. 130. refert Milefiam quandam mulierem cum esset in Asia, eo quod ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam: ex quo textu deduci videtur, etiam juxta Stoicorum sententiam abortum pœnis ordinariis homicidii puniri. Ant. Matthæus dist. cap. 1. num. 2. docet quod cum legibus, non verò exemplis judicandum sit, parum attendi debet casus ille à Triphonino relatus, qui in Asia contigit: verum juxta traditam distinctionem rectius textum illum accipit D. Joan. Ramos dist. lib. 7. num. 205, juxta sententiam Philoophorum; nam cum casus ille contigisset Mileti apud Athenienses, ut refert Cicero in oratione pro Cluentio, & probat Pancirola lib. 2. variar. cap. 51. & Mileti non Stoicorum sententia obtinisset, ut Romæ, sed potius juxta communem scholam sapientium receptum esset, foetum in utero existentem, hominem animalque esse; ita verum homicidium dari rectè pronunciatum fuit Mileti, quod erat Colonia Atheniensium. Ammianus Marcel. lib. 22. ibi: *Atheniensium coloni Milefij inter Jones alios in Asia per Nileum multò ante locati.* Terentius in Adel.

*M. Venit ut secum avehat,  
Nam habitat Mileti. Æ. Hem  
Virginem ut secum avehat!*

*M. Sic est. Æ. Milerumque obsecro.*

Strabo lib. 14. geograph. Ovidius lib. 9. Metamorph. rectè ait mulierem abortum facientem capitali pœnâ puniri, quia verè homicidium perpetravit. Nec interest, quod in ejus textus specie mulier pecuniam accepit, ut partum abigeret, ut notavit D. Joannes Ramos ubi supra, num. 194. contra eos, qui existimant, ob illius pecuniæ interventionem mulierem pœna capitali affectam fuisse. Quidam etiam existimabant, in prima parte ipsius textus ideo matrem pœna capitali puniri, quia pecuniam accepit ut partum abigeret, & ita assassinum committeret: in secunda verò non ita puniri, quia non quæstus causâ abortum procuravit.

## CAPUT IV.

Alexander III. Bartholomeo<sup>2</sup> Exon. Episcopo.

Sicut dignum, & omni rationi consentaneum est, graves, & difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri, ita etiam nobis ex ministerio susceptæ sollicitudinis imminet, easdem quaestiones, prout nobis Dominus dederit, solvere & singulis à nobis consilium postulantibus respondere, ut providentiâ Romanæ Ecclesiæ, quæ ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, & removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum, & circumspectum existere; cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio juxta discretionem, & providentiâ nostram tibi exinde respondere. Sanè cum vir literatus sis, & sapiens, & discretus in his, ac plurimum exercitatus, plenius nosti, quia in excessibus singulorum non solum qualitas delicti, & quantitas, sed ætas, & scientia, & sexus, atque conditio sunt attendenda. Quia non solum secundum qualitatem, & quantitatem facinoris, sed secundum ea, quæ prædiximus, & secundum locum, & tempus, quo delictum committitur, unicuique debet pœnitentia indici; cum sicut tu ipse non ignoras, idem excessus magis in uno, quàm in alio sit puniendus. Illi au-



tem qui animo occidendi illum sanctum, & reverendum virum Cantuariensem quondam Archiepiscopum, aut ferendi, aut capiendi, si de illa captione mors illi subsequuta fuisset, & citra manuum injectionem se fatentur venisse, pari poena, vel ferè pari puniendi sunt: & illi etiam, qui non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si fortè per violentiam, quam quidam moliri volebant, impediuntur, paulò minori debent poenà mulctari: quia cum scriptum sit: Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit; constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios prestare venerunt: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori definit obviare. Illi vero, qui se asserunt animum Regis inflammasse ad odium, unde fortè homicidium fuerit subsequutum, durè, & asperè, sed non ita severè sunt puniendi, nisi fortè Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocassent. Illi quoque non fuerunt à culpa liberi, nec à poena debent esse immunes, qui licet fuerint illius iniquæ machinationis ignari, tamen eis, quos sicarios esse sciebant, in sarcinis custodiendis ministerium præbuerunt. Eos verò, qui dicunt illius sancti viri, & suorum post mortem ejus occupasse spolia, si nihil aliud in tanto facinore commiserunt, à poena mortis ejus arbitramur esse immunes. Sed quæ occupaverunt, eis, quorum fuerunt, tenentur in integrum restituere, si habent in facultatibus unde ea possint reddere: & ipsi ex hoc poenitentia, moderata tamen, est indicenda, quia licet quidam ex his ea, quæ occupaverunt, fateantur se pauperibus erogasse, non tamen alienas res, cum ipsas potuissent eis, quorum fuerunt, restituere, debuerunt pauperibus erogare. Illis verò, qui sola excommunicatorum participatione se reos esse cognoscunt, consideratà temporis morà, in quo in eadem nequitia perdurarunt; & inquisito etiam si eis timore, vel affectione communicaverint scienter, vel ignoranter, secundum hoc poenitentia est indicenda. Clericos autem, quos constat armatos interfuisse tanto facinori, & illos etiam clericos, qui consilium illud dederunt, ut sanctus vir caperetur, perpetuò non solum ab altaris ministerio deponendos esse censemus, sed ita etiam, quod in Ecclesiis nullo unquam tempore & lectiones legant, vel responsoria in choro cantent; sed in psalmis apud Deum de commisso fatagant veniam implorare. Insuper autem clerici ipsi in districto claustrò monachorum, vel canonicorum regularium, si fieri potest, sunt recludendi: ita quidem, quod usque ad septennium, vel quinquennium debeant ab introitu Ecclesiarum coerceri.

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> **Exoniensi.** ) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* & post Concilium Lateran. *part. 35. cap. 1.* Scribit autem Alexander Exoniensi Episcopo, quia Antistites Eboracensis, Lundunienfis, & Saresburiensis favebant Henrico Regi Angliæ, immò & pacem in vitam inter ipsum Regem, & Beatum Thomam rescindere curabant, ut refert Baronius *anno 1170.* In præsentem autem textum agit de nece, & martyrio B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, qui post varias clades, & peregrinationes, tandem ad Ecclesiam suam reversus, dum in ipsa Ecclesia cum suis clericis, & monachis vespertinum officium persolveret, varii milites districtis gladiis irruentes eundem furiosis clamoribus appellare cœperunt; qui primum ædituos arguens, eò quod milites excludere tentarent, dicens non esse Ecclesiam castrorum more custodiendam; mox seipsum ingenti animo militibus mortem minantibus offerens, seque paratum esse dicens pro Deo mori, & pro libertate Ecclesiæ, atque iisdem sub anathemate prohibens ne cuiquam omninò ex suis, sive monacho, sive clerico nocerent; demum in modum orantis inclinato capite, mirà constantià ferale expectavit ferientium ictus, & ita martyrii palmam assequutus fuit die 29. Decembris anno 1170. cujus martyrium, & gesta cum Henrico II. Rege Angliæ referunt scriptores ipsius vitæ Gervadius *anno 1154.* Vergil. *lib. 3. histor. Angliæ*, Richardus

Smitheus *in floribus Ecclesiæ Angliæ. lib. 7. de Archiepiscopo Cantuar. cap. 7.* Naclerus *2. tom. gener. ner. 40. fol. 205.* Paulus Æmilius *in vita Ludovici, fol. 110.* Joannes Major *de Schotor. gestis, cap. 16.* Sanderus *lib. 1. schism. Angliæ, Ribadeneira in hist. Angliæ lib. 1. cap. 38.* Pineda *lib. 20. Monar. cap. 27. §. 30. & lib. 28. cap. 22. §. 2.* Unde quia in hac sancti Thomæ nece fuerunt plures tam clerici, quam laici, qui Henrico faventes, mediatè, vel immediatè martyrio, & persecutionibus sancti operam dederunt, ideo in præsentem epistola Alexander III. præscribit Exoniensi Episcopo formam, quam observare debet in imponendis poenitentibus his sceleratis hominibus: quare post Concil. Lateran. *diel. cap. 35.* textus hic compilatur *sub tit. de poenitentia.*

b *Sed atas.* ) Ut dicemus infra *in cap. 1. de delict. pueror.*

c *Conditio.* ) An videlicet nobiles, vel ignobiles sint, ut ita severius, vel levius, juxta conditionem puniantur, *cap. cum quidam, de jurisjur. ubi probavi.*

d *Opem ferrent.* ) Et ita cum pluribus insidiantibus homicidium perpetratum est, omnes tenentur, ut probat Sesse *tom. 1. decis. 103.*

e *Non liberavit.* ) Ut probant ultra relatos à Barbosa *in præsent. Gibalin. de irregul. cap. 4. conclus. 13. fol. 141.*

f *Participatione.* ) Ob quam communicantes cum excommunicatis majori excommunicatione ligatis minorem excommunicationem incurrunt



currunt dicemus in cap. significavit, de sent. excom. g. Lectiones.) De quibus, egi, & de responso-  
tibus in c. 1. de celebr. Missar.

h. Claustro monachorum.) Pœnitentiæ per-  
agendæ causâ, de qua detractione egi in cap. 1.  
de irregul.

## CAPUT VII.

Idem.

Presbyterum, qui quendam puerum intuitu<sup>b</sup> disciplinæ percussit in capite, cum post paucos dies exspirasset, tam ab omni altaris ministerio debes perpetuò removere, quàm ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur exspirasse.

## NOTÆ

I. <sup>a</sup> Idem.) Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc tit. cap. 8. & post Concil. Lateran. part. 26. cap. 4. ubi additur pars capituli Licet. Unde cognoscitur in præsentis referri partem textus in cap. licet, de sponsa duor. cap. 1. de corpore vitiat. c. 6. de iudic. cap. 10. de accusat. cap. 1. § 2. de cleric. puenat.

<sup>b</sup> Disciplina.) Quæ modica & levis præceptoribus, ac magistris permittitur, l. sed eisi, §. ult. cum l. sequenti ff. ad leg. Aquil. l. item queritur, §. si magister, ff. locati, cap. si quis non iratus 15. quest. 1. cap. circumcelliones 23. quest. 5. cap. aut facta 19. de pœnit. dist. 1. Concil. Arelat. 2. c. 34. facit lex 9. tit. 8. part. 7. qui modus coërcitionis inquit D. Augustin. relatus in cap. 1. 23. quest. 5. à Magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus adhibetur. Contra verò in emendandis, corrigendisque discipulis nimiam præceptorum acerbitatem, atque sævitiam damnarunt Quintilianus lib. 1. instit. cap. 4. & lib. 2. cap. 2. Martialis lib. 2. epigr. 62. & jure hoc Pontificio Præceptor clericum immoderatè casti-

gans, & disciplinæ causâ percussus in excommunicationem canonis si quis suadente, incidit: leviter verò correctionis, & disciplinæ causâ percussus, non item, c. 1. c. cum voluntate 54. §. final. de sent. excom. & minis, ac ferulis non debere Præceptorem nisi perraro uti, multi bonæ notæ Auctores monent; immò blanditiis pueros ad studia alliciendos esse, docet D. August. lib. 21. de civit. Dei. c. 14. ibi: Per pœnas doloribus plenas pueri non cogantur quaque artificia, vel literas discere, ipsum namque discere, ad quod pœnis adiguntur, tam pœnale est eis, ut nonnunquam ipsas pœnas, per quas compelluntur discere, malint ferre, quàm discere. Alia congesserunt Claudius Espenceus lib. 2. digress. c. 3. Forner. lib. 1. rev. quotid. c. 3. Cur autem ex tali sævitia non detur actio injuriarum in Magistrum, sed tantum actio legis Aquiliæ, exponit D. Joan. Suarez ad leg. Aquil. lib. 3. c. sect. 6. Cum ergo in præsentis casu clericus peccasset lethaliter nimiam sævitiam discipulum castigando, ideo efficitur irregularis, ut docent Covarr. in Clement. si furiosus. 2. part. §. 4. num. 5. Gibalin. de irregul. c. 4. part. 1. consecrar. 1. regul. 2.

## CAPUT VIII.

Idem<sup>a</sup> Consentin. Archiepiscopo.

Continebatur in literis, quas nobis tua devotio destinavit, quod diaconus præsentium lator, iste, & quidam clerici, qui rogati ad vineas Ecclesiæ putundas perrexerant, circa vespèras<sup>b</sup> opere consummato, cum redirent, levandi laboris gratiâ quendam ludum imitati sunt viatorum, projicientes baculos suos in longum. Studebant enim in directum jacere, & alter alterius sustem ferire. Hujus autem ludi, sicut asserunt, solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi victor, eo, cujus baculus percussus est, uteretur pro equo: sed præfati clerici equitandi licentiâ non utentes, sola jactatione erant contenti, ut dum alacrius ad baculos suos concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut prædictus diaconus asseruit, dum baculum ejusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiluit, & sic à falce ipsius diaconi, quæ erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo exspiravit. Inde est, quod commonemus f. r. atq; mandamus, quatenus eundem diaconum sine licentiâ Romani Pontificis superiorem gradum suscipere, vel in diaconatus officio nullo unquam tempore ministrare permittas: sed eum dispensativè ministrare in subdiaconatus officio<sup>c</sup> patiaris.

NOTÆ